



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 6. Casu iaculati, diuina manu directi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

§. VI.

Casu jaculati, diuina manu directi.

Huc spectat & illud, quod de puerulo memorat Olaus, cui itidem & *Casus*, & Deus insignem gloriam peperit; quando, hoste Groningam Frisonum urbem obsidente, artem parentis imitari volens innocens filiolus, igne in magnum tormētum bellicum immisso, caput illustrissimi ducis, in obsidione foris milites exhortantis, ferreo globo expulso, auulsit, & obsessis quietem peperit. Lusit tum puer, sed Deus serio egit, qui pueri manum in hostem direxit. Dixit olim Elisæus ad regem Israël: *Pone manum tuam super arcum. Et, cum posuisset ille manum suam, superposuit Elisæus manus suas manibus regis, & ait: Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset, dixit Elisæus: Iace sagittam.* Sic nimirum Deus manum nos iubet admouere operi, sed manui nostræ manum ipse suam superponit. Nos arcum tendimus, Deus dirigit sagittam. Nostrum est telum jacere, Dei destinare. Quemadmodum, quando vir quidem tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israël, inter pulmonem & stomachum. Sagittarius, casu, Deus confilio regem percussit. Nos quoque

Olaus
Magn.
lib. 9.
cap. 28.

4. Reg. 13.
16.

3. Reg. 22.
34.

C omnes

Psal. 138

§.

omnes sæpe nescij, cum Deo, immò Deus nobiscum manum mouet. Ob quam causam ait Dauid: *Ecce, Domine, tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Hoc est, quod vulgò aiunt: *Homo proponit, Deus disponit.* Sic sæpe non sagittam, sed verbum ex ore acutius mordaciùsque sinit aliquis euolare, quo eum non tangit, quem petit; cum interim alium vulnerat; vulnere indigentem, & ex eo ictu sapientem; aut certè cum ille ipse, qui petitur, dictum aliorum accipit, quàm fuerit à dicente destinatum.

§. VII.

Præter suam, sed non præter Dei mentem, plus efficit versu, Abbas, quàm destinat.

Cæsarius

lib. 4.

cap. 55.

Ita accidit Monacho, de Ottirburg, quem diuina Prouidentia, mirabili casu, in ordine Religioso, conseruauit. Is à fallaci dæmone, & Mundi illecebris irretitus cogitauerat cœnobio, & Deo nuncium remittere. Ea, in cogitatione noctes dièsque versabatur. Stabat igitur aliquando, in choro, &, alijs matutinas preces cantantibus, ipse cantu abstinens, ac silens, mente secum agitabat, quo tempore, quòue modo, ordinem deferere vellet. Hoc orandi tædio totos matutinos